



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Solutio primi, secundi, & tertij argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

§. II.

Solutio primi, secundi, & tertij argumenti.

SUMMARIUM.

Hæc argumenta ab ipsomet Baio, Janſenio, & Celladei ſolvenda, n. 91.

Digniſſima D. Aug. doctrina de peccato propriè, & impropriè tali; quid utrumque? n. 92. ad 95.

S. Auguſtinus aſerit, quòd opus contra legem non cognitum ſit peccatum, non culpa. n. 93.

Diſtinguit voluntatem facti, & peccati, n. 95.

Ex caſu Abimelech oppoſitum inferitur, n. 96.

Expono textum Chriſti D. in ſervum, n. 97.

Peccata ignorantia vincibilis ploranda, n. 98.

Ut ignorantia, & obliſio ſubſeant peccato, ut vult Synodus Paſtina, ſatis ut ſint poena peccati, non verò neceſſe, ut ſint peccatum: ſatis quoque, ut vincibilis ignorantia ſit peccatum, n. 99. 100. 101.

Qualiter omnis peccans ſit ignorans, n. 102.

Nulla ignorantia eorum, quæ quis ſciendi obligationem cognoscit, excuſat a peccato contra ſtudioſitatem, n. 103. 104.

Expono D. Aug. & D. Thomam, ibid.

Dicunt S. Anſelmi pro intelligendis SS. PP. 105.

Hæreticorum mos abuti Scripturâ, & PP. ibid.

Conſideranda circumſtantia, in quibus SS. PP. locuti, & inductio aliquorum, qui unum errorem impugnantes, declinaſe viſi ſunt in aliud, n. 106.

Quid Caiet. de S. Thom. n. 107.

D. Bonav. loquens de D. Aug. ait: Ut eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum, plus dicens, & minus volens intelligi, ibid.

Ut lex moraliter violetur, debet moraliter exiſtere, n. 109.

Obligatio legis remota pendet à Legislatore, proxima à cognitione ſubditi, n. 111.

Errores circa liberum arbitrium, n. 112.

Libertas Theologica præter ea, quæ includit Philoſophica, dicit cognitionem proponentem opus conforme, aut diſforme à lege æternâ, num. 113.

Ignorantia invincibilis circa ea, quæ ſunt de neceſſitate mediij, non excuſat a medio ponendo, excuſat autem à re præceptâ ponendâ. Cur? n. 115.

N.
91.

Hæc ſunt robuſtiora Adverſariorum argumenta, quorum imbecillitatem inde conjectari licet, quòd omnia à ſuis Patronis ſolvenda ſunt. Primò enim ſolvenda ſunt à Baio, & Janſenio; cùm enim uterque doceat ignorantiam legis Divinæ, & humanæ, & factorum, ſi invincibilis ſit, excuſare

à peccato, negent autem ignorantiam legis naturalis excuſare, eò ipſo à Janſenio, & Baio ſolvenda ſunt, nam probant vel ignorantiam legis politi-væ, & factorum non excuſare à peccato, ſi probant ignorantiam legis naturalis non excuſare; vel ſi illud non probant, neque hoc ſecundum probant. Secundo ſolvenda ſunt à P. Elizal. cùm enim iſte doceat ignorantiam legis ſequentem ad originale excuſare à peccato, negent autem ignorantiam ſequentem ad perſonale excuſare, eò ipſo à P. Elizal. ſolvenda ſunt; probant enim, vel utramque excuſare, vel neutram; ſed eſt de fide ignorantiam ſequentem ad originale, ſi invincibilis ſit, excuſare: ergo ſi non eſt de fide, ut mihi eſt, ſaltem eſt Theologicè certum ignorantiam ſequentem ad perſonale excuſare, ſi invincibilis ſit. Tertiò, quia cùm Janſenius, Baius, & Celladei meritò ſentiant ignorantiam legis, dummodo non ſit poena peccati, ſeu ſequens ut poena ad originale, vel perſonale, excuſare a peccato actionem ſub eâ ignorantia elicitam; eò ipſo omnes tres tenentur iterum ad ſolvenda propria argumenta; probant enim, vel quòd ignorantia non conſequens ut poena non excuſet, vel ſi excuſat, etiam conſequens excuſat: ſed per Adverſarios ignorantia, dummodo invincibilis ſit, non ſequens ut poena ad originale, vel perſonale excuſat: ergo etiam ſequens ut poena ad originale, vel perſonale, dummodo invincibilis ſit, excuſabit. Quòd autem ſequens ad originale poſſit eſſe invincibilis, eſt certum contra Baium, & Janſenium: ergo etiam eſt certum contra P. Elizal. quòd conſequens ad perſonale eſſe poſſit invincibilis.

Nè verò merè arbitraria videatur explicatio, quam authoritatibus objectis dabimus, ſciendum eſt, peccatum poſſe ſumi propriè, & impropriè: propriè eſt, quòd non tantum eſt contra legem, ſed ſit ab homine ſciente eſſe contra legem, & dicitur *peccatum formale*, & tollit ab eo homine, ſi grave ſit, gratiam ſanctificantem, & abſolutè dicitur *culpa*: impropriè eſt ipſa actio materialis, quæ reverà eſt contra legem; quia tamen ſit ab homine invincibiliter ignorante eſſe contra legem, ideo vocatur *peccatum materiale*, & à S. Auguſt. abſolutè dicitur peccatum, non tamen dicitur culpa. Hoc ſenſu non tantum à S. Auguſt. ſed etiam ab alijs SS. PP. & TT. actiones, quæ ſunt contra legem ignotam, dicuntur ſæpe peccata, nempe impropriè, quatenus ſunt tantum materialiter peccatum; & ſimiliter ipſa ignorantia invincibilis ſequens ad peccatum ut poena, ſæpe dicitur peccatū, nempe improp-

Janſen.
Baius.

P. Eliz.

N.
92.

S. Aug.

N.
93.

improprie, quatenus est poena peccati, non autem proprie. Porro hec divisio peccati in proprie, & improprie tale, & quod ignorantia invincibilis sequens ut poena ad peccatum, fit improprie peccatum, traditur expresse à S. Aug. adeoque dum Adversarij doctrinam suam fundare præsumunt in S. Aug. eandem ab eodem S. Doctore profligatam intelligant, nisi in meridio cæcutire velint: nam præter textus S. Aug. supra citatos in prima nostrâ ratione, quibus expresse asserit, nullum proprie esse peccatum, quod ab invito, & ignorante fit, & esse improprie peccatum actiones malas ab ignorante eorum malitiam committas, utens specioso lingue exemplo: ipse enim sermo, qui est effectus lingue, dicitur lingua, nempe improprie; ita ignorantia dicitur peccatum improprie, quatenus est effectus peccati; præter hæc, & alia ibi addita ait lib. 1. *Retract. cap. 13. Peccatum quippe illud intelligendum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam poena peccati; quamvis & illa, qua immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi: ubi considera, quam recte S. Doctör distinguat inter peccatum proprie, & improprie tale; eaque, quæ voluntaria non sunt, seu non sunt libera libertate indifferentiæ, censet immerito dici peccata, quia non sunt proprie peccata. Hoc idem iterum declarat lib. 1. *Retract. cap. 15.* ubi cum proposuisset, quomodo omne peccatum debeat esse voluntarium, nam sæpe ignoranter peccamus, ergo involuntarie, ait: *Qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens, peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipse esse potuit sine voluntate peccatum. Quia voluit, ergo fecit, etsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati.* (subdit P. Ripald. *tom. 3. d. 10. sect. 6. n. 58.*) non potuit Theologus Scholasticus distinguere subtilius materiale peccati à formali malitiâ, & componere voluntatem facti cum nolitione peccati, sive voluntariū materialis peccati cū involutario formalis malitiæ.*

Ad primum argumentum in formâ respondendo, omisâ retorsione contra Baianos, & Jansenistas asserentes ignorantiam juris positivi, & factorum excusare à peccato, quam bene urget Baron. 2. p. *Manud. d. 4. sect. 1.* Defensio Mercori cōtra Wendrochium à pag. 407. & contra P. Elizal. asserentem ignorantiam sequentem ad originale excusare à peccato; & contra omnes eosdem asseren-

Tom. I.

tes ignorantiam, quæ non sit poena peccati, excusare à peccato; respondeo, inquam, ex eodem Genesis textu inferri evidenter oppositum, ut rectè P. Vasq. 1. 2. d. 124. nam Abimelech, ut intimatam sibi à Deo iram à se averteret, non aliam in suæ innocentie favorem excusationem obtulit, quàm ignorantiam; etenim Deum alloquens dixit: *In simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum hoc feci; numquid Domine gentem ignorantem, & justam interficies?* Ecce Abimelech nō potuit sibi persuadere, quòd Deus castigare possit peccatum sub ignorantia commissum; immò cum ignorantia unit justitiam: ergo peccatum ignorantie non tantum excusat à peccato, sed, ut dicemus, honestat actionem. Igitur tō morieris, non fuit intimatio poenæ propter peccatum, quod non aderat, sed pura comminatio conditionata, nempe quòd si Abimelech conficius, quòd Sara esset uxor Abrahæ, eam non dimitteret, & Abrahæ ejus viro redderet, Deus occidisset Abimelech.

Ad primam confirmationem respondeo, N. Christum D. non dicere, quòd qui non cog. 97. noverit voluntatem Domini, eamque non cognoscens operatus contra eam fuerit, vapulabit; sed dicit, quòd, *Qui non cognoverit voluntatem Domini, & fecerit digna plagis, vapulabit*: eò autem ipso quòd dicit, *non cognoverit, & fecerit digna plagis*, loquitur de ignorantia vincibili, cui micetur dubium de voluntate Domini, quæ ignorantia non excusat à peccato. Vapulabit igitur, non quia operatus sit contra voluntatem Domini ignotam, sed quia hanc particularem Domini voluntatem ignorans, operatus est contra aliam voluntatem Domini sibi notam, nempe contra voluntatem obligantem uti maiori diligentia, ut hanc particularem Domini voluntatem sciret.

Ad secundam confirmationem, ex hoc quòd Scriptura inculcet Fidelibus, ut suas ignorantias cognoscant, ut lumen, & veniam pro ignorantia petant, non deducitur ignorantiam invincibilem, & opus sub eâ factum, esse peccatum; sed deducitur ignorantiam vincibilem esse peccatum, & plures Fideles huic subiacere, & mereri, ut Deus in illius poenam sua auxilia subtrahat, & Divini sui Spiritus radios non evibret, & propter hanc familiarem Fidelibus incuriam Scriptura præcipit, ut hostias, lacrymas, & poenas offerant, nempe pro peccatis ignorantie, & inadvertentie, præsertim cum sæpe impossibile sit dijudicare, an ea ignorantia fuerit vincibilis, an invincibilis, an immunis ab omni culpâ veniali, an non immunis.

Ad tertiam confirmationem ait P. Card. 99.

N ij

tom.

tom. 1. d. 5. n. 401. contra Baron. à quo quærit, an asserens ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, incideret in Janfenismū? Si incidit; quomodo Baron. talem propositionem non damnat? Si non incidit; explicet quomodo homo tunc non peccet necessario. Addit contra eundem, quomodo dicit se nolle ferre iudicium, & tamen assermat esse doctrinam Pelagij à S. August, & à Synodo Palæstinâ damnatam? Hæc P. Card. modestissime. Deinde respondeo cum P. Ripald. tom. 3. d. 10. n. 37. inutiliter omnino exultare Baium, dum eo argumēto utitur contra nos asserentes omnem ignorantiam invincibilem, etiam juris naturalis, excusare à peccato: inutiliter, inquam; nam vel hæc propositio, *Ignorantia invincibilis excusat à peccato*, est doctrina Pelagij, vel non? Si est; ergo etiam est doctrina Pelagij hæc propositio, *Ignorantia invincibilis juris humani, & Divini, & factorum excusat à peccato*: & tamen hæc docetur à Baianis, qui unicè negant, ignorantiam invincibilem juris naturalis excusare. Si non est; ergo malè nobis Pelagianismum obijciunt. Quare solutionem, quam Baiani, Janfenistæ, & Baron. daturi sunt, si illis obijciatur, quod eorum doctrina asserens ignorantiam invincibilem juris Divini, & humani, & factorum excusare à peccato, sit doctrina Pelagij, eandem nos dabimus, dum nobis obijciunt, esse doctrinam Pelagij, quod omnis ignorantia invincibilis excuset à peccato: quapropter tantum abest, ut hæc sit doctrina Pelagij, quin est doctrina Catholica. Sensus igitur propositionis Pelagianæ damnatæ, ut hæreticæ à Synodo Palæstinâ, & à S. August. est, *Oblivio, & ignorantia non subjacent peccato*; hæc enim erat propositio Pelagij: Synodus autem, & S. August. dicunt, *subjacere peccato*; quis tamen ex hoc inferat *ignorantiam invincibilem esse peccatum*? Ut enim subjaceat peccato, satis est, ut ignorantia sit poena peccati, & sit effectus culpæ originalis: immò hunc ipsum esse sensum Synodi, est evidens; cum enim Pelagius doceret, nullam homines ob culpam originalem contraxisse ignorantiam, sed eam hominibus ex naturæ necessitate evenire; immò cum docuerit, quod culpa Adami solum Adamum infecerit, non genus humanum; & infantes in eodem esse statu, quo Adam ante prævaricationem; S. Aug. ex eadem nostrâ ignorantia infert, nos omnes contrahere originale, & eam ignorantiam subjacere peccato, seu esse peccati effectum: ergo per hoc, quod Synodus, & S. August. dicant, *ignorantiam subjacere peccato*, quis nisi somnians dicat, eos dicere, *ignorantiam esse peccatum*? si enim dicerent, ignorantiam esse peccatum, ergo etiam dicerent, ignorantiam juris Divini, & humani, & factorum esse peccatum; quod tamen Baiani, & Janfeniani negant, à quibus nos discedimus negando, ullam ignorantiam, etiam si sit juris naturalis, dummodo invincibilis sit, esse peccatum: immò affirmamus, omnem cujuscumque juris, vel naturalis, vel Divini, vel humani, vel factorum, invincibilem ignorantiam excusare à peccato. Addo Synodum rectè damnasse dictum Pelagij, *Ignorantia, & oblivio non subjacent peccato*, seu non sunt peccatum; hoc enim dictum est expressè contra Scripturam asserentem, dari peccata ignorantiae, nempe vincibilis; Pelagius autem volebat, nihil factum ex ignorantia, & nullam ignorantiam esse peccatum. V. P. Thyrsus P. de d. 4. sect. 12. & P. de Champs lib. 3. d. 5. cap. 6. Chap. Dices: Celebre est Philosophorum, & N. Theologorum effatum, *Quod omnis peccans sit ignorans*, sumptum ex 3. Ethic. cap. 1. ubi Aristot. ait: *Omnis igitur pravus ignorat, quæ oportet agere*: ergo tantum abest, ut ignorantia excuset, quin est causa peccati. Respondeo, quidquid sit de sententiâ asserente, ad omne peccatum præcedere semper errorem in intellectu, de quâ legi potest P. Suar. d. 5. de Peccatis sec. 1. P. Vasqu. 1. 2. P. 128. P. G. Hurt. d. 5. de Peccat. diff. 13. P. Ovid. 1. 2. tr. 6. contr. 6. pun. 5. & alij passim; quidquid, inquam, sit: dico effatum illud in hoc sensu intelligendum, nempe, quod si peccans consideraret maturè motiva retrahentia à peccato, quæ semper sunt incomparabiliter maiora, quàm allicientia ad peccatum, numquam peccaret; quapropter omnis peccans, quia semper omittit hanc maturam considerationem, ideò est ignorans; & ideò benè P. Ripald. tom. 3. contra Baium d. 10. n. 19. ait posse quendam ex ignorantia invincibili procedere imputabilia ad culpam, quatenus cum eâ ignorantia antecederet, quæ est causa operandi contra legem naturalem, adest notitia sufficiens prohibitionis objecti; quia tamen non adest plena scientia gravitatis malitiæ, & bonorum, quæ cum obedientia legis uniuntur, ideò illud dici potest ex ignorantia profectum, & hac ratione plerique exponunt illud Aristotelicum, & nunc Theologicum proverbium, *Omnis peccans est ignorans*. Hæc P. Ripald. Similiter dici potest omne peccatum procedere ex ignorantia, non quidem intellectus, sed voluntatis; voluntas enim pravè operans dici solet errans; ita Psalmo 14. *Errant qui operantur malum*. Demum dico axioma nō esse ad rem; aliud enim est, quod omnis peccans sit ignorans, aliud, quod

N. 101. P. Thyrsus P. de d. 4. sect. 12. & P. de Champs lib. 3. d. 5. cap. 6. Chap. Dices: Celebre est Philosophorum, & N. Theologorum effatum, *Quod omnis peccans sit ignorans*, sumptum ex 3. Ethic. cap. 1. ubi Aristot. ait: *Omnis igitur pravus ignorat, quæ oportet agere*: ergo tantum abest, ut ignorantia excuset, quin est causa peccati. Respondeo, quidquid sit de sententiâ asserente, ad omne peccatum præcedere semper errorem in intellectu, de quâ legi potest P. Suar. d. 5. de Peccatis sec. 1. P. Vasqu. 1. 2. P. 128. P. G. Hurt. d. 5. de Peccat. diff. 13. P. Ovid. 1. 2. tr. 6. contr. 6. pun. 5. & alij passim; quidquid, inquam, sit: dico effatum illud in hoc sensu intelligendum, nempe, quod si peccans consideraret maturè motiva retrahentia à peccato, quæ semper sunt incomparabiliter maiora, quàm allicientia ad peccatum, numquam peccaret; quapropter omnis peccans, quia semper omittit hanc maturam considerationem, ideò est ignorans; & ideò benè P. Ripald. tom. 3. contra Baium d. 10. n. 19. ait posse quendam ex ignorantia invincibili procedere imputabilia ad culpam, quatenus cum eâ ignorantia antecederet, quæ est causa operandi contra legem naturalem, adest notitia sufficiens prohibitionis objecti; quia tamen non adest plena scientia gravitatis malitiæ, & bonorum, quæ cum obedientia legis uniuntur, ideò illud dici potest ex ignorantia profectum, & hac ratione plerique exponunt illud Aristotelicum, & nunc Theologicum proverbium, *Omnis peccans est ignorans*. Hæc P. Ripald. Similiter dici potest omne peccatum procedere ex ignorantia, non quidem intellectus, sed voluntatis; voluntas enim pravè operans dici solet errans; ita Psalmo 14. *Errant qui operantur malum*. Demum dico axioma nō esse ad rem; aliud enim est, quod omnis peccans sit ignorans, aliud, quod

quod omnis ignorans sit peccans: illud transmittito; hoc nego: hic enim non agito, an omne peccatum sit ex ignorantia, sed an omnis ignorantia etiam in vincibilis sit peccatum.

N. 103. *Baron.* *Janfen.* Ad secundum argumentum retorqueo contra Baium, & Janfenium: ergo nulla ignorantia juris positivi excusabit à peccato: & contra Celladei: ergo nulla ignorantia sequens ad originale excusabit à peccato. In forma respondeo verum esse, quod nulla ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, (ut autem teneatur, debet cognoscere obligationem sciendi illa) excusat à peccato: ergo expresse SS. PP. loquuntur de ignorantia vincibili; nam ignorantia ejus, cujus aliquis cognoscit obligationem sciendi, & scire non vult, est vincibilis; quæ ignorantia vincibilis à Caram. *lib. 2. Theol. Mor. Fund. pag. 540. n. 1550.* vocatur virtualiter scientia; qui enim vincibiliter ignorat, ita se habet in conspectu Dei, & hominum prudentium, ac si illud expresse cognosceret; quod idem repetit *lib. 4. in quæst. procemiali n. 23.* cui sub-
Caram. *lib. 4. in quæst. procemiali n. 23.* scribit M. Joan. Mart. de Prado in Theol. Mor. ubi de ignorantia.

Itaque nulla ignorantia ejus, cujus aliquis cognoscit obligationem sciendi, & scire non vult, excusat à peccato contra studiositatem, seu à peccato negligentiae, & aliorum peccatorum, quæ prævidentur ad eam negligentiam consequutura. Si autem non cognoscatur obligatio repellendi eam negligentiam, & ignorantiam, tunc talis ignorantia excusatur, tum à peccato negligentiae denuò imputabili, tum ab alijs, licet ea ignorantia sit poena peccati, five originalis, live personalis. Potest enim ignorantia antea culpabilis fieri decursu temporis inculpabilis, & invincibilis; & si talis evadat, excusat opus sequens à peccato denuò imputabili. Ad textum S. Augustini, quod ad necessitatem, seu ad ignorantiam invincibilem (quæ juxta me facit necessitatem) posset sequi peccatum, intelligendus est loqui de peccato improprie, seu de opere materialiter malo, juxta dicta initio hujus §. Ad alium textum dico cum M. Mercoro *1. p. art. 4. pag. 11.* loqui de ignorantia vincibili; nam S. August. expresse asserit dari posse in hæretico ignorantiam invincibilem, & hanc excusare à peccato. Ad S. Thomam dico loqui de peccato improprie; vel si loquitur de proprie tali, dico cum Philaleto *qu. 5. pag. 91.* intelligendum, si non usus fuerit diligentia sufficienti ad veritatem cognoscendam. Omitto alium D. Augustini textum, quem truncatum affert Baron. & cui respon-
M. Str. *Tom. 1. d. 15. n. 408.* necnon
P. Card. det
Tom. I.

alios, quos trahit, & interpretatur P. Ripald *P. Rip. d. 10. & P. de Champs.* In forma distinguo *P. de Cham.* maiorem & minorem. Nulla ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur obligatione morali, seu cognita, excusatur à peccato, concedo; obligatione tantum physica, seu existente in re, non tamen existente in intellectu moraliter, adeoque non cognita, nego maiorem. Patet distinctio ex dictis hic *sect. 2. notand. 6.*

Porro, quia inveteratus Hæreticorum N. 105. mos est, SS. Patrum, immò sacræ Scripturæ testimonia corrumpere, & illis patrocinium suis erroribus querere, ut patet tum ex Janfenitis, qui Augustinum ubique sonant, cum Anti-Augustiniani sint; tum in Berengario Hæretico, qui ad negandam veram in SS. Eucharistie Sacramento præsentiam testimonijs Augustini abutebatur; hinc S. Anselmus in favorem Augustini armatus, *S. Ansel. in lib. de Sacram. Altaris cap. 13.* cujus titulus est, *In legendis Patrum scriptis, multa opus esse vigilantia,* & considerandum tempus, perionas, & alias circumstantias, in quibus locuti sunt; & ideo antequam hæresis Pelagiana exurgeret, S. Augustinus extollens vires arbitrij in libris, quos jam ediderat, non pauca posuit, quæ exurgens exinde illa hæresis sic sumptit ad patrocinium sui erroris, ut etiam paria secum sentire jactaret virum per omnia Catholicum, & ad hunc finem idem Augustinus libros Retractionum composuit, in quibus se explicavit. Similiter S. August. docuisse visus fuit, non esse in Altaris Sacramento veram Christi D. præsentiam, quia necdum hæc hæresis orta erat: quapropter S. Anselmus acutè dixit contra aliquas quæstiones nondum exortas: *Quia tunc non vigilabat eorum intentio, plurima de Sacramentis in scriptis suis reliquerunt, quæ loco suo, suo sensu bene dicta ab eis, qui contendere, vel errare amant, eruta de locis, per se videntur aliud sonare, quam sentent, unde assumpta sunt, & quam senserunt, qui scripserunt.* Rursum N. 106. idem Augustinus, dum exagitavit Pelagianos, plus justo vires arbitrij commendantes, accessisse videtur ad hæresim oppositam negantem libertatem arbitrij. Ut igitur mens S. Doctoris constet, non sunt ejus verba nudè sumenda, sed consideranda circumstantia, in quibus & personæ, contra quas locutus est. Hoc ipsum notavit Theodoretus *Theod. tom. 4. pag. 170.* SS. Patres, dum aliquam hæresim impugnaverunt, sepe in contrariam partem declinasse eo modo, quo Arist. dixit, in Aristot. alteram partem declinandum omne curvum, ut medium facilius obtineatur. Ita S. Gregor. Thaumaturgus, dum Elianum Ethnicum plurimum deorum cultum Christianis
S. Greg. N. iij objicien-

- S. Dion. obijcientem impugnat, visus est. cum Sabellio negare SS. Trinitatem. Ita S. Dionysius Alexandrinus, dum Sabellium confutavit, visus est tres in Deo essentias distinxisse. Ita plurimi Patres, dum Eutichetem negantem duplicem in Christo D. Naturam impugnant, adhæsisse visi sunt Nestorio asserenti duplicem in Christo D. Personam. Ita S. Thom. *qu. 5. de Malo art. 2. ad 1.* querens, an parvulis debeat poena sensus in gehenna, ait: *Sancti tali modo loquendi usi sunt*, (id est, videntur affirmasse) *ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserbant in parvulis nullum esse peccatum.* Ita Caietanus *1. p. qu. 70. art. 3.* dum exponit auctoritatem S. Thomæ *lib. 2. contra Gentes cap. 70.* ait, S. Thomam quasi inclinasse in sententiam eorum, qui volunt Caelos esse animatos: ne igitur S. Thom. sibi contradixisse videatur, dicit Caietanus, quod S. Thomas in oppositam partem declinavit, dum Averroem impugnavit. Demum S. Bonav. in Breviloquio *p. 3. cap. 5.* dicit: Non debetur parvulis poena sensus in gehenna; hoc credendum est sensisse B. Augustinum, licet verba ipsius exteriorius propter detestationem erroris Pelagianorum aliud sentire videantur. Ut eos reuiceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum, plus dicens, & minus volens intelligi. Hæc S. Bonav. Si hæc observarent Hæretici, quam pauca ex SS. PP. obijcerent; quam nulla ex S. Aug. & ex S. Thomâ Janfenista, immò quam modica Catholici contra alios Catholicos, dum nuda SS. Patrum verba contra Adversarios obijciunt, neglectis circumstantijs, & modo loquendi!
- M. God. Ricci. Lege M. Godoy *1. p. d. 26. n. 25.* & Riccium ex Ordine S. August. qui egregie vindicat S. Doctorem *tr. de Act. Humanis cap. 14. lib. 1.* & C. Aguirre *tom. 3. in S. Anselm. d. 135. sect. 4.*
- N. 108. S. Th. Ad 3. argumentum evidens est retorasio contra Baium, Janfeniū, & P. Eliz. Deinde dico indubitatum esse cum S. Thom. apud omnes Theologos; immò etiam Adversarios Baium, & Janfenium in lege positivâ, & P. Elizal. in omni lege ante peccatum personale, quod ut lex violetur moraliter, debet existere moraliter, seu per cognitionem in violante, non autem satis esse, ut materialiter existat, seu in se, ad hoc, ut moraliter violetur, licet hoc satis sit, ad hoc ut materialiter violetur: immò sicut, ut lex materialiter violetur, satis est, ut materialiter, seu in re existat; ita ad hoc ut moraliter violetur, debet lex moraliter, seu per cognitionem existere in mente violentis; nec satis est ut materialiter existat. Ratio est; quia lex non

dirigit nisi ut applicata per cognitionem, nec obligat in particulari, ut ait M. Tapia *tom. 1. N. lib. 1. qu. 8. art. 1. n. 9. & 10.* nisi applicata per conscientiam, & ideo operans contra legem, & conscientiam uno tantum peccato peccat; quia lex non obligat, nisi applicata per conscientiam, nempe contra legem, nam ex lege, & conscientia eam applicante fit una regula morum. Ita M. Tapia. Hoc autem adeo certum est, ut si per errorem concipiatur lex existere in re, licet reverâ in re non existat, operans contra eam peccabit moraliter, quia operabitur contra legem moraliter existentem, licet per errorem. Quare peccatum propriè tale est potius violatio legis per cognitionem moraliter existentis, quam violatio legis existentis in re. Vide P. Ripal. *tom. P. Rip. 9. d. 10. n. 36.*

Dices cum P. Elizal. *2. p. lib. 5. qu. 15. §. 1. pag. mibi 103.* legem obligare statim ac est promulgata ante actualem ipsius cognitionem. Respondeo ex hoc sequi ignorantiam invincibilem non excusare. In formâ distinguo: Lex obligat remotè statim, ac promulgatur, concedo; proximè, nego; debet enim mihi constare promulgatio. Omitto, quæ loco citato repetit. *solum veritatem esse regulam, & præcepta non fieri falsis cognitionibus, sive probabiles ea sint, sive probabiliores; & probabilis errare, non est scire, sed errare, & ignorare.* Ex hoc enim acquiritur, quod si per cognitionem erroneam, etiam invincibilem, putem hodie esse jejunium, cum non sit, non peccabo omitendo jejunium, tùm quia non est promulgatio jejunij, tùm quia sola veritas obligat juxta P. Eliz. cum sola sit regula morum.

Ad confirmationem respondeo obligationem remotam, & in actu primo legis pendere unice à voluntate superioris; attamen obligationem proximam legis pendere proximè a cognitione subditi: ergo implicat violatio moralis legis sine morali existentia legis proponente ejus vim obligativam remotam.

Dices: Omnis actio moraliter difformis primæ regulæ morum est moraliter mala: sed stante omnimodâ legis ignorantia, mendacium ex. gr. ut vita proximi salvetur, est moraliter difforme legi illud prohibenti: ergo illud mendacium est moraliter malum. Minor probatur: Illud mendacium est liberum moraliter, & est difforme legi vetanti; ergo est moraliter difforme. Respondeo: plurimos circa liberum arbitrium in Ecclesia Dei exortos fuisse errores; alij plus justo illud extollentes, ut fecere Pelagiani, & Semi-Pelagiani, illi excludentes omnem gratiam,

gratiam, ista initium gratiae; alij nimium exervantes, ut Lutherus, Calvinus, Baius, Janſenius tollentes à voluntate omnem libertatem; quapropter quoties fermo est de libertate arbitrij, & in ordine ad quos actus, toties ſingulari ſemper attentione opus eſt. Reſpondeo 2. hoc argumento probari nullius legis poſitivæ invincibilem ignorantiam excuſare à peccato, (cujus oppoſitum Janſenitæ affirmant) & ipſam ignorantiam invincibilem ſequentem ad originale non excuſare à peccato, (cujus oppoſitum affirmat Celladei): ergo eſt ab illis ſolvendum. Reſpondeo 3. quod actio in ratione *moralis* Theologiæ, & Ethicæ, ſeu in ratione honeſti, & inhoneſti, præter ea, quæ includit libertas, prout dicitur potentia moralis philoſophica, ad diſtinctionem potentiae phyſicæ neceſſariæ, dicit cognitionem proponentem conformitatem, vel diſformitatem talis actionis cum primâ regulâ; quare ſi ea cognitio deſit, ea actio erit quidem actio moralis, ſeu libera phyſicè, prout liberum contraponitur neceſſario; non autem erit libera moraliter Theologicè, ſeu honeſta, vel inhoneſta. In formâ diſtinguo: Omnis actio cognita ut diſformis moraliter primæ regulæ morum, ſeu ut inhoneſta, eſt moraliter Theologicè mala, concedo; non cognita ut inhoneſta, eſt moraliter Theologicè mala, nego maiorem, & minorem. Ad probationem, concedo illud mendacium eſſe liberum, & eſſe phyſicè diſforme legi vetanti mendacium; nego autem quod ſit diſforme moraliter, quia implicat ut ſit diſforme moraliter legi, niſi lex moraliter exiſtat; ſed ſtante omnimodâ ignorantia legis vetantis mendacium, ea lex non exiſtit moraliter; ut enim moraliter in intellectu exiſteret, deberet cognosci: ergo &c. Ratio eſt; quia lex non vetat mendacium liberum utcumque, ſed mendacium liberum cognitum, ut moraliter malum, ſeu cognitum, ut oppoſitum tali legi; ſed ut tale includit neceſſariò cognitionem repræſentantem eam oppoſitionem; ergo, ſi ea cognitio deſit, mendacium non erit moraliter Theologicè malum. Ut enim ſit moraliter Theologicè malum, non ſatis eſt, ut ſit à principio moraliter philoſophicè indiſferenti, ſed debet eſſe à principio moraliter Theologicè indiſferenti; ſed voluntas præter ea, quæ includit quatenus eſt principium moraliter philoſophicè liberum, conſtituitur in ratione principij moraliter Theologicè indiſferentis, per cognitionem proponentem regulam morum: ergo, ſi hæc cognitio deſit, non dabitur principium Theologicè liberum: ergo dictum mendacium non erit moraliter,

& Theologicè liberum, & malum, ſed tantum phyſicè, & materialiter malum. Quare tenendum, quod rectè monet P. Hiquier. de P. Hiqu. Deo *tratt. 10. n. 89.* & P. Eſparza 1. 2. *lib. 3. p. El-parz. qn. 16.* quod libertas latius patet, quàm moralitas; nam in pueris eſt libertas, non tamen moralitas, ſi deſit notitia, quod ille actus ſit rationi conformis. Similiter tenendum moralitatem materiale non eſſe, niſi conformitatem actus cum objecto, ut eſt in re; formalem non eſſe, niſi eandem conformitatem, ut cognitam ab intellectu, ait Neuſſ. *d. Neuſſ. 2. qn. 1. c. 2.* Ut ergo actus ſit Theologicè bonus, non ſatis ut cognoscatur conformis, aut diſformis rationi; tunc enim erit tantum Philoſophicè liber, & bonus, ſed neceſſe, ut cognoscatur ut placens, aut diſplicens Deo: reverà tamen ſi cognoscatur ut diſſonans rationi, eò ipſo erit diſplicens Deo: puto enim repugnare peccatum purè philoſophicum, de quo legendi T. T. immo & Moralitæ, quibus recentè ſubſcribit clarus Scotiſta Felix Poſtatiſ in ſuo Examine Eccleſiaſtice editionis Venetæ 1706. *tom. 1. parte 4. n. 3675.*

Intas: Ignorantia invincibilis eorum, N. quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, non excuſat hominem ab obligatione ponendi in re tale medium: ergo invincibilis ignorantia eorum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, non excuſabit hominem ab obligatione ponendi rem præceptam. Sed contra retorqueo: ergo ignorantia invincibilis ſequens ad originale, & ignorantia invincibilis legis poſitivæ non excuſabit à peccato; quorum primum negat Celladei; alterum Cellad. Baius, & Janſenius. In formâ concedo antecedens, & nego conſequentiam; cum enim ſalus æterna pendeat neceſſariò à tali medio ex institutione Chriſti D. ſive illud culpabiliter, ſive inculpabiliter omittatur, non obtinebitur ſalus; ut patet in infantibus ſine Baptiſmo decedentibus, qui ſalutem æternam amittunt, licet ſine ullâ personali culpâ, quia eorum ſalus eſt ex institutione Chriſti D. indiſpenſabiliter connexa cum Baptiſmo: ut autem homo liberetur à peccato faciendo, ſatis eſt invincibilis ignorantia de non malitiâ operis faciendi, quia de ratione peccati eſt cognitio malitiæ: ergo paritas non tenet, dummodo enim deſint media, ſive ex culpâ, ſive ſine culpâ, immò licet ſcienter deſſent, ſalus non poterit acquiri; e contra non poteſt haberi peccatum ſine cognitione peccati.